

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et
Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra
aetate doctissimum diuersis temporibus missae**

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Petreius Aprobacchus Capnioni salutem

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

EPIST. ILLVST. VIRORVM AD

¶ Petreius Aprobacchus Capnioni Salutem.

INCIDIT hac hora in manus meas diuini operis uestibulum à Galatino de Iudæorum peruicacia ex Thalmud conuincēda in tui defensionem compositi. Quod quo minus in præsentia accipias præpropere fecit huius nuncii abitio. Accipies aut breui ab insigni Iureconsulto Martino Groningo, mecum unā dignitatis tuæ studiosissimo transcriptum. Quandoquidem pro tuis erga Reip. literariam meritis studiosos certatim omneis excubare decet, ne quid quod uoluptati uel utilitati tibi cedere arbitremur unquam omittamus. Sumus namque quotquot Palladiæ militiæ nomina dedimus non minus tibi deuincti quæ summo alicui Imperatori qui in eius uerba iurarunt milites. Quis enim hac ætate sacrosanctam bonarum artium maiestatem, aduersus Sciolos aut fortius tueretur aut tueri melius potest Capnionem? Sed rapit me aliō conditionis tuæ magnitudo, qui eo consilio hæc exarauit, ut oprabile tibi afferam nuncium prope diem ad te uenturi uoluminis Galatini tui, Cuius ubi auxilia tuis copiis accesserint, periculum non erit, quin ad occidionem occidant aduersarii, quos iam pridem temeritatis & stulticiæ suæ conscios, de nulla re magis quam damnatione sui cogitantes uideas, ut nulli deinceps uelites, nulla leuis armatura optata tibi existat. Vale magnū Christiani orbis incrementū. Tibique ac nobis diutissime uiue. Ex Vrbe VIII. Kal. Sep. M.D. XV.

¶ Michael Humelbergius Capnioni Salutem.

ETSI nunc ex patria mea, & ipsa Sueuia nostra ut olim à Roma tam longe distita rarius ad te scribam, nihilominus tamen tui memor te ut semel foeliciter cecepi uere diligo & amo uehementer. Siquidem & tua uirtus est & omnis sacratoris disciplinæ uaria eruditio, quæ me in amorem tui primū illexit. Successit nescio quæ succisiua opera mea quantumuis pusilla *τὸ κατὰ τὴν μοναχὸν πρὸς ἀρχιεπίσκοπον* Romæ impensa, quæ te mihi conciliauit, & magnam inter nos iucundamque familiaritatem atque amicitiam perpetuam conflauit, quæ Hercle quoad eius licebit, licebit autem quoad uiuero, sanctissime colam & uenerabor. Quod si literis non semper significem, non quia *μὰ θεὸν ἀρόρεα* sopitus dormiam, aut lethar